



R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

XI. An intellectio vt sic proprium subiectum essentialiter postuet, ita vt in
alieno, & intelligendum incapaci ne diuinitus possit collocari?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

voluntas respectu amoris ad quem disponitur merè passivè se habeat, eumquè minimè efficiat.

127 Hinc ad confirmationem argumenti respondendum est, ne diuinitus fieri posse ut amor voluntati vniatur, eive à Deo infundatur absque eo quod pro priori naturæ signo eam cognoscentem prævideat diuinus intellectus. Quod autem opponitur, cognitionem tum necessario non antecessuram in præuisione diuina atque naturæ ordine actum amoris, quatenus esset à Deo, nec quatenus esset à voluntate creata, vanum ac frivolum est: nam sicuti dispositiones accidentariæ naturæ priores sunt introductione formæ substantialis, non quod causam efficientem ad formam disponant, sed quod eam à tali causa recipiendam præparent; ita similiter in euentu nostræ disputationis cognitio creata necessario antecedere deberet infusionem amoris, non quod ad amandum intentionaliter dispoeret, aut quod in æquo est dirigeret, sed quod in voluntate ad receptionem amoris à Deo foret intentionalis dispositio, nec tam Dei quam voluntatis directio, eaque verissima.

128 Hæc dicta sunt iuxta tertiam argumenti, in quo versamur solutionem. Namque iuxta primam eius solutionem responderi posset ad eius confirmationem fieri quidem diuinitus posse, ut voluntas pro priori naturæ ad cognitionem obiecti, eius amorem recipiat: in eo autem euentu prius natura amaret quam cognosceret: ceterum prius Logicè, & in subsistendi consequentia cognosceret, quam amaret: siquidē ea hypothesei admittā valerēt tamē semper hæc consequentia: voluntas amat in toto instanti reali, ergo cognoscit, non tamen è conuerso: quod sufficeret ad qualem qualem directionem cognitionis ad amandum. Hæc solutio videbitur alicui fortasse non improbabilis. Mihi tamen omnino non placet: nam quamvis pro eo priori, quo ante cognitionem obiecti voluntas amaret, non ferretur in incognitum negativè, sed tantum in incognitum præcisiuè: at ne in incognitū hæc posteriori modo ferri posse voluntatem, longè verius est: quemadmodum enim pro priori quo intellectus cognoscit aliquid obiectum, ab huius veritate transcendentali præcindi non potest, sed necessum est ut iam tum intelligatur obiectum positivè verum; ita similiter euenire non potest ut pro illo priori naturæ signo voluntas amet, quin pro eodem priori intelligatur obiectum ab ea cognitum nec sufficeret ad denominationē amantis non dari in voluntate carentiam cognitionis, sed opus est ne ab illa præcindi, cum tribuitur præfata denominatio. Quocirca melius potest responderi ad confirmationem principalis argumenti iuxta eius secundam solutionem, casu quo amor in abstracto sumptus antecederet in voluntate cognitionem obiecti, fore tamen è conuerso ut cognitio esset ordinè naturæ prior amore in concreto sumpto, siuè denominatione amantis; videlicet quia illam tanquam pars intrinsecè constitueret: hæc, autem antecessio sufficit ad directionem: nec enim est cur hæc semper sit ad amorem, & non possit aliquando esse ad duntaxat amandum.

129 Hactenus opinio Patris Vasquez citata disp. 6. cap. 5. Et quorundam quos refert. Aliorum sententia est, intellectiōnem ut sic, & quācūque in partē à solo Deo poni posse in potentia vitali, eique quāvis merè passivè se habenti, ac nihil omnino agenti tribuere posse veram denominationem intelligentis. Ita Okamus in 1. dist. 1. q. 2. Concl. 2. Gabriel ib. art. 2. conclus. 4. Paludan. in 4. dist. 49. q. 1. art. 2. & 3. Alliacensis in 1. quæst. 2. art. 1. Marfil. in 3. q. 10. R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

art. 2. Maior in 3. dist. 14. qu. 2. Scotus in 3. dist. 13. §. ad 3. quæst. Andreas de Vega lib. 3. in Concil. Tridentin. cap. 8. Gregorius in 1. dist. 42. q. 1. art. 2. Arriaga disp. 6. de anima. sect. 2. subsect. 4. necnon alij Doctores Scolastici tum antiqui, tum recentiores. Sed immeritò: nam ut constat ex dictis supra intellectio aliqua nempe actiua consistit in actione immanenti potentia vitalis, & intellectiua: eiusmodi autem intellectiōnem haud posse etiam diuinitus poni in potentia vitali nihil immanenter agente videtur manifestum: Quid enim id esset quam idem à seipso separari, & actionem immanentem sine actione alibi collocari: quo tamen nihil magis impossibile aut absurdum.

130 Mea ergo sententia est, intellectiōnem bifariam sumi posse, nimirum aut pro sola actione immanenti, ac vitali, aut pro sola qualitate. Quod si intellectio in primò sensu usurpetur, ne diuinitus quidem absque actione, & conatu intellectus in intellectu poni potest, ut breuiter ostensum est numero superiori, utquè latius ostendi potest ex iis, quæ supra cap. 6. in impugnatione septimæ sententiæ de essentia intellectiōnis disputauimus: atque pro hac opinionis nostræ parte laudari possunt omnes illi Auctores qui intellectiōnem in actione constituunt, & certè nec pauci sunt, nec ignobiles. Sin autem intellectio in posteriori sensu sumatur, prout videlicet in qualitate absoluta consistit, & non tam actiue quam passivè; ita quidem poterit diuinitus collocari in intellectu, eumquè denominare intelligentē, absque eius efficacitate, & concursu vitali, haud fecius ac calor v. g. in igne absque ignis actione, & influxu per miraculum poni potest à solo Deo: quæ enim utrinque disparitatis ratio est: si quæ certè esset maximè quia qualitas illa in qua intellectio passiva sita est in eo differt à calore quod nequeat diuinitus non esse vitalis & coniuncta cum attentione ad suum obiectum; quod item qualitas volitionis esse debeat voluntaria: atqui hanc rationem discriminis aliasque id genus nullas prorsus esse demonstratum est supra: nequè non etiam ex superioribus facillimè solui possunt argumenta omnia quæ opponi possunt aduersus nostram sententiam, quoad eius utramquè partem. Proinde, &c.

CAPVT XI.

An intellectio ut sic proprium subiectum essentialiter postulet, ita ut in alieno, & ad intelligendum incapaci ne diuinitus possit collocari.

131 **A**sserendum est primo, intellectiōnem qualitativè seu passivè sumptam in alieno subiecto v. g. in lapide diuinitus collocari, & ab intellectu separari posse. Ita Hurrard. in locuplet. edit. d. 6. de anim. l. 1. §. 123. & Gabriel in 3. dist. 3. q. vnica n. 2. Asserendū est 2. intellectiōnem, siuè imaginem obiecti, esse non qualitas absolutam, sed modum in alia re situm fore, nihilominus poni posse in extraneo subiecto, non tamen nisi proprio subiecto simul contento: ut si Deus intellectum nostrum cum lapide penetraret: tunc enim intellectio intellectui seipsa vnita vniri posset lapidi per vnionem distinctam: haud aliter ac vnio essentialis formæ ligni cum materia ita comparata est, ut quævis eius pars alteri per aliam vnionem continetur, tamen per seipsam subiecto suo vniatur, in eoque recipiatur: Ecce

& non secus, atque subsistentia Verbi naturæ diuinæ per identitatem etiam vnita nihilominus vniri sustinet aliena naturæ, nempe humanitati Christi, eamque terminare per vnionem realiter distinctam. Arque huic etiam assertioni fauet Hurtadus citata sect. 1. subiect. 2. §. 134.

132

Asserendum est tertio, intellectiōnem actiue sumptam, siue pro expressione imaginis intentionalis acceptam posse etiam poni in extraneo subiecto. Ratio est, tum quia, licet ea intellectio sit vnio Physica sui cum intellectu, id non verat quominus alteri subiecto non intellectiui per aliam copuletur vnionem, vt iamiam vidimus: tum etiam, quia tamen si de facto actio illa in qua id genus intellectiōnis consistit per seipsam vnatur intellectui, ne multiplicentur entitates sine necessitate, tamen possibilis forsan est actio intellectualis terminata ad imaginem seu verbum, quæ non per seipsam, sed per aliam vnionem intellectui vnatur: intellectio autem in ea actione sita; cur ab intellectu separari, & in lapide solo supernaturaliter collocari nequeat:

133

Obiicies tamen contra primam assertionem, fore vt intellectio constituta in lapide denominaret, & simul non denominaret lapidem intelligentem. Quod lapis vi intellectiōnis in se constituta non foret intelligens manifestum est: lapis enim non est substantia intellectiua aut rationalis sed rationis expert. Quod esset etiam simul intelligens probatur primo, quia denominatio intelligentis aliarum instar id habet vt adæquatè coalescat ex forma intelligendi, & subiecto, & vtriusque vnione: atqui constituta intellectiōne in lapide nec subiectum, nec vnio, nec forma intelligendi deessent: ergo nec denominatio intelligentis: secundo è contrario fundamento: quia concretum accidentale, cuiusmodi est denominatio intelligentis, importat solam formam: sed si intellectio constitueretur in lapide daretur in eo forma intelligendi: ergo & concretum, seu denominatio intelligentis. Major probatur quia in prædicamento quantitatis v.g. ponitur quantum duntaxat concretè sumptum: at non ponitur in eo subiectum, quippe quod est substantia, & ad prædicamentum substantiæ pertinet: sola ergo quantitas pro formali in eo ponitur: ac proinde quantum est sola forma, non subiectum: quidni ergo idem dicatur de cæteris concretis accidentalibus eorumque formis.

134

Respondeo tamen, intellectiōne constituta in lapide hunc duntaxat non intellecturum, nec fore vt sequeretur vtrique pars contradictionis. Ad Primam probationem contrariam dicendum est, denominationem intelligentis esse formam vnitam subiecto, non cuius tamen, sed solum capaci: vnde propter incapacitatem lapidis ad intelligendum intellectio ei vnita nequaquam eum denominaret intelligentem. Ad secundam probationem contrariam dicendum est, concretum accidentale haud esse solam formam, sed vltius intrinsecè includere subiectum, siue in recto, siue saltem in obliquo: alioqui concretum accidentale, eiusque abstractum reipsa nunquam distinguerentur; & præterea quoties concreta, siue denominationes differrent, eo ipso formæ deberent esse diuersæ: nec mirum cum cōcreta nihil includerent ratione cuius possent diuersificari, nisi solas formas: at nunquam distingui concretum, accidentale, & abstractum à parte rei, est per absurdum, vt pater ex mysterio Eucharistiæ: Eucharistica enim quantitas est abstractum realiter distinctum & separatum à suo concreto, nempe quanto: si quidem nec panis per eam dicitur quantus, nec Christus, vt omnes in confesso habent.

Nec minus absurdum est, quod non possint dari diuersa concreta, differentesque denominationes, nisi à formis diuersis: etenim, vt aliis supercedam exemplis, nihil exploratus, quam ab eadem numero cognitione sequi in intellectu denominationem cognoscentis & in obiecto denominationem cogniti, quarum alterutra distinguitur ab altera. Quod autem opponitur subiectum substantiale non poni in prædicamento in quo constituitur concretum accidentale v.g. quantum: ergo quantum est non subiectum, sed sola forma: hoc, inquam, nihil dictum est, quia cum concretum dicitur poni in prædicamento ponitur etiam in illo eius subiectum, non se solo sumptum, sed prout subest denominationi accidentali, v.g. quanti: hac autem ratione subiectum, quantumuis substantiale, poni in prædicamento accidentis alicuius, & extra prædicamentum, genulvè substantiæ, non est incōueniens absolumve. Adice, quod supponitur in argumento, quantum v.g. solum, non verò quantitatem abstractè sumptam spectare ad prædicamentum, cum grano salis, vt aiunt, accipiendum esse, nec nisi sub distinctione esse posse verum: de quo supra lib. 3. huius operis tract. 1.

136

Contra secundam assertionem nostram obiiciunt aliqui, intellectiōnem modalem collocatam in alieno subiecto fore eo ipso modum, & simul rem absolutam, quod tamen repugnat: modum, vt supponitur: & rem absolutam, quia terminaret vnionem à se realiter distinctam, ac separabilem; eam scilicet vi cuius esset in subiecto non intellectiui. Respondeo, non futuram rem absolutam, quia res absoluta censetur ea, quæ nullum subiectum modificat, nullique essentialiter alligatur; aut vnitur per seipsam: at intellectio modalis, quam concedimus possibilem, aliquod subiectum modificaret, eique per seipsam, & non per vnionem distinctam vniretur, atque adstringeretur: quod igitur alieno subiecto esset vnita per vnionem distinctam, haud argueret eam esse rem absolutam. Aut si mauis dicit, eam fore simul modum, & rem absolutam; non respectu eiusdem, sed intuitu diuersorum, nec in hoc vllam esse repugnantiam.

137

Contra tertiam assertionem nostram obiiciet fortasse aliquis: si actio aliqua intellectualis possibilis, siue intellectio actiua vniretur intellectui per vnionem distinctam sequeretur processus in infinitum vnionū, & actionum: quippe eius actionis possibilis vnio produceretur per actionem distinctam, & hæc secunda actio vniretur per aliam vnionem distinctam, & rursus hæc secunda vnio distincta produceretur per actionem distinctam, & vltius hæc tertia actio distincta terminaret vnionem distinctam, & ista aliam actionem similiter distinctam, & sic nullo fine. Respondeo: in primis quid si diuinitus non repugnat processus in infinitum in alia rerum serie? Deinde esto vbiuis, & per quamcunque potentiam impossibilis, haud tamen sequitur ex nostra assertionem: ratio est: quia, si vnio & actio non possent vllatenus coalescere in eandem realiter entitatem, sequeretur talis processus in infinitum actionum, & vnionum, vt in argumento rectè ostenditur, vtque supra concessimus capite 8. ad eius finem. Cæterum si intellectio actiua, siue actio intellectiua vnatur potentia per vnionem distinctam, & hæc vnio sit indiuisibilis actio, nec agatur consequenter ab intellectu per actionem distinctam, neque etiam actio productiua illius vnatur per vnionem distinctam; cessabit

bit stabit processus omnis in infinitum, vt in-
tuenti constabit.

C A P V T XII.

*Quid sit illud verbum, in quo intellectiois
passivæ essentia est à nobis constituta
& quæ eius differentia ab alijs
verbis?*

138 **V**erbum vt sic triplex est, nimirum interius, aut
exterius, aut partim interius, partimque exte-
rius: vt autem ab hoc ultimo incipiam, verbum par-
tim interius, partim exterius est res ipsa, prout ab in-
tellectu cognita, siue cogitata. Sic dicitur exodi no-
no: *cras faciet Dominus verbum istud*: vbi verbum
haud dubie rem à Deo cognitam, ac volitam, &
media cognitione, & volitione faciendam signifi-
cat. Hac etiam, ratione, vt notat Gabriel, accepisse vi-
detur Augustinus verbum lib. 15. de Trinit. cap. 10.
ibi: *De his ergo nunc differimus, quæ nota cogitamus,
& nota sunt nobis, etiam non cogitentur à nobis:
sed certe si ea dicere velimus, nisi cogitata non
possumus: nam etsi verba non sonent in corde suo,
dicitur vique, qui cogitat: & infra idipsum re-
petit ibi; necesse est enim cum verbum loqui-
mur, id est quod scimus loquimur, &c.* vbi iam ver-
bum pro eo quod scimus sumitur.

139 Quamvis autem huiusmodi verbum à multis
censeatur esse improprie verbum, nescio tamen quo
iure: siquidem verbum est, quod obiectum au-
dienti representat, seu formaliter, seu obiective, ac
causaliter: quo pacto vox externa verbum proprie
dicenda est, vt statim diceretur, tamen non sit re-
presentatio formalis rei, sed tantum causaliter, ac
velut obiectum prius cognitum, & auditam rem
audienti representet: atqui res cognita repre-
sentat semetipsum audienti, ac cognoscenti, quam-
vis non tanquam representatio formalis, siue ra-
tio formalis cognoscendi, tamen velut obiectum
cognitum, quod immediatè, vel certè media specie
impressa cognitionem causat sui.

140 Verbum exterius est vox significatiua ad placitum
à creatura rationali prolata. Hac vltima condi-
tio communiter, & merito adici consuevit, quia
voces placentium, & verbi gratia, non sunt verba.
Porro quamvis aliqui cum Durando in primum
distinctione 27. questione secunda, numero 27. cen-
seant, verbum exterius improprie verbum esse,
probabilius tamen, ac verius est illud proprie, stri-
ctèque verbum esse: id quod beatus Thomas
prima parte questione 34. articulo primo & cum
eo Caietanus, Vasquez, & plerique Scholastici
docent: vtque inde constat, quia vox, *Verbum*, pri-
mo imposita est ad significandum verbum exte-
rius, & postea paulatim ea vti sunt homines ad
denotandum verbum interius, mentale, cuius no-
titia vt difficilius, sic etiam ferius fuit: at vox om-
nis proprie, ac strictè significat id, ad quod signifi-
candum primo instituta est.

141 Quod autem obicit Durandus vocem non esse
verbum, nisi quatenus est significatiua ad placi-
tum: hæc autem denominatio est ei extrinseca,
ergo & denominatio verbi ei erit extrinseca, at-
que adeo impropria: hoc, inquam, parum vrget:
nam plura per denominationem extrinsecam talia,
nihilominus proprie talia sunt, vt patet in rebus co-
gnitis, quæ quidem dicuntur proprie cognite,
cum tamen non nisi extrinsecè cognoscantur;

R. P. Richardi Lincei, Philosoph. Tom. III.

quare vox exterior, etsi extrinsecè sit verbum,
proprie tamen erit verbum. Quod verò obiciunt
alii Augustinum lib. 15. de Trinit. cap. 10. ibi:
*Verbum, quod foris sonat, signum est verbi, quod
intus lucet, cui magis verbi competit nomen*: hoc
etiam nihil aduersariis fauet: nam sicut Deus est
magis ens, quam creatura, quin tamen hæc ob id
improprie sit ens, ita verbum interius poterit esse
magis verbum, quam exterius, tamen hoc etiam
sit proprie verbum.

Verbum vltius est, quo interius aliquid in-
tellectui, aut phantasie representatur. Quamvis
autem aliqui, quos refert, & reicit Canariensis
prima part. quæst. 27. art. 1. doceant verbum intel-
lectus esse improprie, ac metaphoricè verbum, fallun-
tur tamen. Primo, quia verbum mentis est id, quod
obiectum audienti representat: at verbum mentis,
siue sit intellectio ipsa, siue eius terminus, atque
effectus, proprie quidem, & strictè obiectum au-
dienti representat, nimirum menti, quæ sibi ipsi lo-
quitur, verbumque illud in se producit, ergo, &c.
Minor in conspectu est: nam verbum mentis est ra-
tio formalis representandi obiectum: propriissimè er-
go illud representat.

Rursus sancti Patres intellectioem nostram, in-
ternamque cogitationem absolute appellant verbum
ita certè loquuntur, ac sentiunt præter alios Augu-
stinus, Damascenus supra cap. 7. in septima proba-
tione nostræ sententiæ de essentia intellectiois à
nobis citari: idipsum etiam docet Augustinus aliis
in locis, ac præsertim eo, qui relatus manet num.
præcedenti, quique referetur capite sequenti: cur
igitur intellectio nostra proprie verbum non censea-
tur? Præterea, si interior cogitatio intellectus non
proprie, sed improprie Verbum esset, sequeretur
quidem Filium Dei, Patrisque sapientiam
esse improprie tantum, & metaphoricè verbum;
quod scripturis omnibus, ac præcipue Ioannis Euan-
gelio repugnat.

Verbum interius aliud est imaginationis, aliud intel-
lectus. Quod enim intellectus sit verbum constat ex duo-
bus numeris præcedentibus. Quod autem in imagi-
natione, siue cogitativa sit quodammodo verbum, col-
ligi potest tum ex beati Thom. 1. p. q. 27. art. 1. ibi: *ipsa
imaginatio vocis verbum dicitur*: tum etiam ex beato
Damasceno lib. 1. de de fide cap. 18. ibi: *verbum
est naturalis mentis motio, secundum quam mouetur,
intelligit, & cogitat*. vbi non solum per motum lo-
calem oris, & eius organorum, nec solum intelligen-
do, quod est proprium intellectus, verum etiam co-
gitando, quod aliqua ratione commune est phantasie,
verbum proferri edocet: tum etiam quia facultas
imaginatiua in multis intellectum imitatur, sensus-
que superat exteriores: merito igitur eius interior
effectus, per quem sibi obiectum representat, ver-
bum nonnulla ratione dici poterit. Cæterum termi-
nus cuiusvis potentie sensitiue exterioris verba dici
neutiquam solent; aut quod perinde est, nec volun-
tas sibi loquitur, aut semetipsum audit, nec etiam
visus exterior, aliave potentia materialis etiam exter-
na sibi loquitur, seu auscultat.

Vtriusque autem ratio potissima est, quia volun-
tas sibi obiectum non representat, sed potius ad
obiectum fertur, & ab eius bonitate attrahitur: at
verbum est, quo aliquid potentie representatur.
Sensus etiam exteriores obiecta semper existentia, &
& quodammodo præsentia postulant, nec in obiecta,
aut non existentia, aut omnino absentia ferti ex na-
tura rei possunt: quare cum verba sint potissi-
mè instituta ad rem representandam, quando
absens

E c 2